

The *Manipulus/Scotichronicon* Project  
(<http://web.wlu.ca/history/cnighman/Scotichronicon/index.html>)

## Inuidia u

Vereor ne admodum invidorum  
Anglorum historici fataliter infatuentur, quibus

aliena prosperitas adversa, aliena adversitas, prospera  
judicatur. Hii in aliena gratulacione tristantur,  
in aliena tristitia gratulantur.

Constat ex hoc quod cum aliquid discripturi sint de Scotorum

fame serenitate, aut hanc eleganti stilo obnubilare conantur,  
aut ipsorum gloriam sola taciturnitate furari.

Cum enim altercacio olim fiebat de observacione Pasche inter  
Sanctos Columbanum allegantem pro se magistrum suum  
Sanctum Columbam et Wilfridum, sic recitat Beda Wilfridum  
respondisse: ‘Si sanctus vester Columba, ymmo et noster si  
sanctus est, c’. De huiusmodi invehit Alanus,  
De Conquestione Nature, dicens:  
‘Probitatis gloriam degloriat liuor inglorius.’

*Scotichronicon*, 5.7 (Watt ed., vol.3, p.18, ll.43-54).  
[Only the final line is identified as a quotation.]

### Inuidis

aliena prosperitas aduersa, aliena aduersitas prospera  
judicatur. Hii in aliena gratulacione tristantur,  
in aliena tristitia gratulantur.

Isti suas in aliena paupertate diuicias, suam paupertatem  
in alienis diuiciis meciuntur. Isti aut alienae  
fame serenitatem detractionis nubilo nubilare conantur,  
aut eiusdem gloriam sola taciturnitate furari.  
Isti aut puram alienae probitatis sinceritatem fermentant,  
aut ueris falsitatis fermenta maritant.

Sapiencie gloriam degloriat liuor inglorius.

Alanus ibidem (de complanctu nature).

*Manipulus florum*, Inuidia u

Hec inuidie tabes plerosque tabefacit qui, dum alienae fame  
nitorem conantur deterere, prima sue probitatis sentiunt  
detrimenta. His

aliena prosperitas aduersa, aliena aduersitas prospera  
judicatur. Hii in aliena gratulatione tristantur,  
in aliena tristitia gratulantur.

Isti suas in aliena paupertate diuicias, suam paupertatem in  
alienis diuiciis metiuntur. Isti aut alienae  
fame serenitatem detractionis nubilo nubilare conantur  
aut eiusdem gloriam sola taciturnitate furari.

Isti aut puram alienae probitatis sinceritatem fermentant  
aut ueris falsitatis fermenta maritant.

Pro dolor, inuidia quid monstruosius monstrum, quid  
damnosius dampnum, que culpabilior culpa, que penalior  
pena? Hec est erronee cecitatis abissus, humane mentis  
infernus, contentionis stimulus, corixationis aculeus. Qui sunt  
inuidiae motus nisi humane tranquillitatis hostes, mentalis  
depredationis satellites, animi laborantis uigilie hostiles, alienae  
felicitatis excubiae? Quid prodest alicui si ei serenitas fortune  
prosperantis applaudat, corpus etiam purpuramento  
pulcritudinis hylarescat, mens etiam sapientie splendore  
prefulgeat, cum liuentis inuidie latrocinium mentis depredans  
diuicias, fortune prosperantis serenitatem aduersitatis uertat in  
nubila? decoris aurum turpitudinis demittat in scoriam?  
prudentie gloriam degloriet liuor inglorius?

Alanus de Insulis, *De planctu naturae*, 14 (N.M. Häring ed.,  
pp.861-2, ll.65-84).